Thermas Ferinas atque Zellenses physcio medice consideratas ... / submittit J. Gaertner.

Contributors

Gaertner, Joseph, 1732-1791.
Zeller, Johann.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tübingen : A.H. Roebel, 1729.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/m5rkeh4a

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

18

ASSISTENTE DIVINI NUMINIS GRATIA,
JUSSU ET AUTORITATE
AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN ALMA HAC EBERHARDINA,
PRÆSIDE
VIRO ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO,
DN. JOHANNE ZELLERO
MED. DOCT. PRAXEOS ANATOM. & CHIRURG.
PROFESSORE ORDIN. SERENISS. DUCIS WURT. atque
PRINCIP. OETING. CONSILIARIO & ARCHIATRO, UTRIUSQUE & FACULTATIS & ARCHIATRORUM COLLEGII
SENIORE VENERANDO,
PROMOTORE atque PATRONO PIE COLENDO,

THERMAS FERINAS ATQUE ZELLENSES

PHYSICO MEDICE CONSIDERATAS,
PRO LICENTIA
OBTINENDI SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA,
PVBLICO & SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AUTOR
JOSEPHUS GÆRTNER, Calvensis.
Die XX. Junii, Ann. M DCC XXIX.
In Aula Nova.

TVBINGÆ,
LITTERIS ANTONII HENRICI ROEBELII.

ILLUSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO

DOMINO COMITI,

DOMINO FRIDERICO GUILIELMO,

SACRI ROM. IMPERII

COMITI

DE

GRÆVENIZ,

DOMINO HÆREDITARIO IN SCHILDE, WASCHAU ET DODAU, &c.

DYNASTÆ IN MARSCHALKENZIMMERN, ALBOECK, BURGOESCH, HEIMSHEIM ET PEROUSE.

ORDINIS AQUILÆ NIGRÆ BORUSSICÆ

EQUITI,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

DUCIS WURTEMBERGIÆ

PRIMARIO STATUS ET ADMISSIONIS INTIMÆ MINISTRO,

EJUSDEMQUE

AULÆ MARESCHALLO SUPREMO,

GUBERNATORI

COMITATUS MONTISBELIGARDENSIS,

SATRAPÆ

URACENSI, PFULLINGENSI, NURTINGENSI AC NEUFFENSI. RELIQ.

COMITI ATQUE DOMINO SUO GRATIOSISSIMO,

HOC STUDIORUM SUORUM *SPECIMEN* CONSECRAT,

ET AD *EXTEROS ABITURIENS* EA, QUA DECET, HUMILLIMI ANIMI SUBMISSIONE

TANTI MINISTRI PERENNATURÆ GRATIA

SE SUOSQUE COMMENDAT

JOSEPHUS GÆRTNER, MED. LIC.

Q. D. B. V.

POſtulant ab artis ſalutaris Candidato Statuta GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ, ut exantlatis examinibus, diſputationem quoque habeat ſolennem, adeoque profectuum ſuorum ſpecimen edat publicum. Huic inſtituto prorſus laudabili & ego morem gerens, circumſpicere cœpi atque animo volutare meo, quodnam ex amplisſimo Medicinæ campo thema ſeligerem, intentioni huicce meæ congruum. Deliberanti autem primo ſtatim loco ſuccurrit præſens anni tempus, quo ad Aquas Medicatas, & inprimis quidem Balnea, vel jamdum properare, vel ſe ſuum-

que corpus tamen præparare incipiunt multi. Cum verò in ea ſemper fuerim ſententia, pudori utique Juveni ducendum, & vagabundi atque minus conſiderate agentis animi ſignum eſſe, ſi quis domi peregrinus, atque domeſticarum rerum incurius vel negligens fuerit: Ex hiſtoria Patriæ Noſtræ Naturali, quæ, ſi unquam ullius alterius Provinciæ, plenior conſcribi mereretur, *vicinas Calvæ* meæ, longe lateque celebres, ſelegi *Thermas FERINAS atque ZELLENSES*, bona ſpe fretus, thema fore non mihi ſaltim atque anni tempori ſic ſatis accommodum, ſed & Medica conſideratione non indignum. *Faxit modo Divina Bonitas, ut omnis labor meus ſuccedat feliciter!*

§. I.

PRoſpexit Patriæ Noſtræ de ſubſidiis Naturæ, etiam Medicis, Auctor ejusdem TER OPTIMUS TER MAXIMUS ſatis liberaliter, atque fontes medicatos ipſi dedit bene multos. Habemus *Acidulas Deinacenſes* dudum celebratisſimas, a *Leporino* quondam deſcriptas, & nuperrime ſub *Illuſtr. Dn. D. Zellero, Promotore ac Patrono meo per omnem vitam ſubmiſſe colendo*, publica diſputatione

tione *Dn. D. Gmelini*, commendatas. Has pone ſequuntur *Gœppingenſes*, quarum deſcriptionem præter *Tabernæmontanum*, *Walchium & Maskoski*, dedit nobis etiam *Exc. Dn. Archiater Lentilius*. Accedunt *Engſtingenſes*, raro exemplo in ipſis alpibus excelſis ſcaturientes, quas Jebenhuſanis non minores eſſe, atque virtutibus nihil omnino cedere, quondam pronunciavit *Wielandus*, recentiſſime autem peculiari Diſput. Academ. propoſuit Magn. Univerſitatis noſtræ Rector *Dn. D. Alexander Camerarius*, Præceptor meus ac Evergeta tenerrimo animi affectu Parentis loco venerandus.

§. II.

Acidularum plures ſunt, utut non omnes de Ducatu noſtro, in ipſo tamen, vel ad fines modo Patriæ, propinqui, noſtris minime ignoti. Sic ad fluvium Fils, non procul à Gœppingenſibus, ſunt *Jebenhuſanæ*; & altius ad illum ipſum fluvium *Uberkingenſes*. Ad Nicrum ſuperum ſitæ vix milliari Tubinga diſtant *Nidernovenſes*, de quibus publica proſtat diſputatio *B. Dn. D. Rud. Jac. Camerarii*, ultra quas ad eundem tractum, vix trium horarum ſpatio comprehenduntur, præter balneum in *Obernau*, de quo adhuc ſupereſt *Judicium à Facultate Medica Tubingenſi* quondam datum; Et *Sulzauenſes*, quæ ante biennium ex occulta, & vicinis hactenus ignota, cauſa ſimul & ſemel quaſi effœtæ Spiritum amiſerunt omnem, ut aqua modo ſupereſſet dulcis, viva quidem, atque potui idonea, parcior tamen usque, ſi non proxime tandem penitus emanſura; *Bieringenſes*, *Boerſtingenſes*, atque *Imnavienſes*. Et in medio Sylvæ nigræ, atque itinere Argentoratum verſus, ſunt *Rippelſavienſes* (de qui-

 bus

bus in transitu notandum, quod hæ sint ille ipse fons *in dem Kinzinger Thal*, cujus in disp. d. Acid. & Therm. rat. ingred. & vir. conven. §. XV. p. 24. Ill. Fr. Hoffmannus, & ex hoc Exc. Dn. D. Verdries, in sua Physica, edit. ult. p. 399. meminit, qui postquam longo tempore fluxerat, omni sapore ac virtute subito fuerit privatus, eam ob causam, quod vicinis in locis facta rupium apertura vapor sulphureus & mineralis magno impetu eruperit, clausa vero apertura vires pristinas de novo acquisiverit.) *Griesbacensis* & *Petrina* scaturigo acida, una cum balneo non procul dissito *Antegast*. Quemadmodum de his posterioribus legi inprimis merentur, ex antiquis quidem *Salzmannus* & *Graseccius*, ex recentioribus autem *Exc. Dnn. DD. Bæcleri* Argentinensis, & *Hurteri* Scaphusiensis Mstum examen per reagentia cum istis fontibus institutum; Sic occasione peculiaris istius phœnomeni, quod nupero demum anno cum commilitonibus vidi apud *Illustr. Dn. D. Al. Camerarium*, scilicet aquam Rippelsaviensem atque Petrinam cum gallis jucundam purpuræ rubedinem cito contraxisse, (quod ipsum quoque in Bieringensibus supra citatis observari, fide gratiosi Dn. Hospitis mei assevero) non possum non gratulari Patriæ, & ægrotis, qui aquis inter nos indigebunt ferrugineis, multum boni promittere, de *nova scaturigine*, quæ ad ipsam Nicri ripam, *Stuttgardiam inter & Canstadium*, superiori demum anno inventa est; quippe ejus portio, Tubingam transmissa, cum gallis cito non rubedinem modo, sed plenam brevi nigredinem induit. Enim vero etiam *Hattenhovensis* aqua, *Joh. Bauhano in d. Font. Admir. Bollensi* jam citata, huc similiter transmissa, non minus egregiam purpuræ rubedinem exhibuit.

§. III. Ex

§. III.

Ex Aquis vero Medicatis ad balneandum inſervientibus primo utique loco ſtant *Thermæ* noſtræ *Ferinæ*, etiam *Bernh. Varenio in Geographia Generali* laudatæ, vel ex priſco *Widmanni* ante duo ſecula jam impreſſo, & recentiori Paſtoris quondam ibi *Deuceri* in vernacula ſcripto tractatu, omnium tamen maxime annua plurimorum ægrotorum viſitatione, & felici eorundem reſtitutione dudum celebres. Duobus milliaribus inde diſtant *Zellenſes*, laud. *Varenio l. c. edit. Newton.* etiam nominatæ, & a *Mart. Rulando*, nec non *Joh. Georg. Agricola*, item *Andr. Baccio*, in ſuo de thermis tractatu, aliisque quondam deſcriptæ. His ad latus poni meretur *Fons* quondam *Admirabilis* dictus *Bollenſis*, hodienum præſtans adhuc & elargiens, quod de ipſo quondam prædicaverat *Johannes Bauhinus*. Fontem Bollenſi non diſſimilem, quippe ſimiliter ſulphureum, *Zaiſenhuſæ*, ad fines Patriæ verſus Palatinatum, ab aliquot luſtris ſcaturientem atque celebrari cœptum, publico ſtitit Medicus Provincialis *Dn. D. Brigel*, nec minus laud. Illuſtr. *Dn. D. Alexander Camerarius* in diſſertatione ſua pro Licentia. Huic ſimilem, in agro vicinæ Imperialis *Reutlingæ* inventum, videſis in *Eph. Nat. Curioſ. Cent. III. & IV. Obſ. 133.* Et eidem junge alterum *Bahlingæ*, præcedentibus ratione ſulphuris prorſus ſimilem, a nemine, quantum mihi quidem conſtat, hactenus deſcriptum. Balneum Tubingæ proximum, *Divo Blaſio* quondam dicatum, a citato *Varenio* aquis natura calidis, adeoque thermis proprie ita dictis, falſo adſcriptum, vel ex *Sam. Hafenrefferi* edito tractatu, magis tamen & recentius ex Diſp. pec. *B. Dn. D. Rud. Jac. Camerarii*

rarii, atque annuâ ægrorum ex vicinia undique confluentium visitatione, celebratur.

§. IV.

Taceo *Canstadiensium* aquam ab *Exc. Archiatro Lentilio* in laud. *Eph. Nat. Cur. Cent. I. & II. obs. 149.* descriptam; *Welzheimenses* thermas a *Rumelino* quondam traditas; *Marpacensem* fontem ab *Eisenmengero* (qui *Siderocratem* se vocavit postea) descriptum; *Capfenethensem* in *Andreanis Selenianis Augustal.* ad ann. MDCLXVI. graphice depictum. Et coronidis loco *Nagoldensem*, a paucis modo annis celebrari cœptum. Ex his aliisque (non enim omnes omnino patriæ medicatas aquas hic exhausimus) nos hac quidem vice seligemus *Thermas Ferinas*, illisque vicinas jungemus *Zellenses*, in utriusque fontis originem, contenta atque facultates, paulo specialius inquisituri.

§. V.

Quod ergo ad *Thermas Ferinas* attinet, sunt illæ ex antiquissimis fere, & prætenduntur a *Deucero* inventæ anno post reparatam a Christo salutem ducentesimo duodecimo, creditæ quondam *Heroldo* comprehensæ sub *Aquis Marcianis* in genere ita dictis, scil. in Sylva tum Marciana, post Hercynia, nostris hodie Nigra dicta sitis, & *Imperatori Caracallæ* æque ac Badenses Marchionatus jam cognitæ, prouti occasione epigrammatis antiqui in Thermis Badensibus, olim M. Aurelii Antonini dictis, conspicui, & a *M. Crusio Suev. Annal. L. IV. P. I. p. 91.* adducti, *Kufferus* autumat. Prima ejus inventio hactenus communi omnium consensu tribuitur *Apro*, cujus figuram lapidi incisam adhuc exhibet ædificium balneo superstructum,

ctum, proin etymologiam, cur Thermæ vocentur Ferinæ, omnium optime declarat. Thermarum vero nomen atque dignitatem utique tuetur mereturque fons, a totidem seculis inexhaustus, & *æquali calore jugiter scaturiens*, & hunc quidem adeo moderatum servans, ut in proverbium inter nostros abierit, atque res promiscue omnes, quibuscunque usibus accommodæ, dicantur *eben recht wie das Wildbaad.*

§. VI.

Notabilis hic primo statim loco occurrit circumstantia, ulteriore curiosorum atque in his rebus versatorum inquisitione dignissima: Prætensum quondam fuit, Thermas in Marchionatu *Badenses*, & *Ferinas* atque *Zellenses* nostras, unam eandemque esse scaturiginem. Quod ipsum probaturi solent ad duo inprimis provocare phœnomena: I. Situm, prouti quidem ex Mappa Patriæ Geographica patet, adducunt parallelam, aut potius quasi rectilinam & æqualem fere singulorum fontium à semet invicem distantiam. Deinde distinctum adeo caloris gradum notant; scil. dum Badenses fervidæ scaturiunt, Ferinæ mediocriter calent, Zellenses autem in fundo saltim aliquid caloris servant, in universum tepidæ, calefieri pro balneo necesse habent.

§. VII.

Quicquid autem hujus rei sit, admirandæ scaturigo nostra est & ubertatis & constantiæ, quæ non modo in quatuor quasi distinctis cellis, seu areis saxosis, sed arenâ pro commodiore insessu opertis, admodum spatiosis, quippe pro diversitate ædificii nunc 12. nunc 30. nunc plures nunc pauciores pedes ambitu quadrato æquantibus, pro insigni

etiam ſimul balneantium numero ſufficit; verum etiam calorem ſuum temperatum, æque ac divitem aquarum ſupellectilem, ſemper ſervat æqualiter, adeo, ut hominum memoria non conſtet, unquam vel defeciſſe aquas per annorum ſiccitatem quantumvis extraordinariam, vel remiſiſſe a calore ſuo, tantum abeſt ut congelatæ fuerint vel rigidiſſima etiam hyeme, qualis ſine pari dicebatur olim illa anni 1709, nunc etiam noſtri quem adhucdum vertimus anni. At enim vero in ſpatioſa illa area, quæ virorum balneo deſtinata, ſcatariginum tamen aliqualis ratione caloris quidem obſervatur diverſitas, dum quædam ex interioribus, reliquas anteriores caloris gradu ſuperantes, etiam inferni nomen inde reportarunt, noſtratibus *die Hölle* dictæ, absque tamen eo, ut ad plenum fervorem accedant, vel cuti aut cuticulæ ſaltim ardore ſuo quidquam noxæ afferant.

§. VIII.

Nihil ullibi comparet colorati, *nulla ochra* deponitur, nec in fundo ſcaturiginum, nec ad latera, aut in ſuperficie vel parietum & quaſi conclavium, vel canalium per quos aqua defluit ſuperflua; *Nec* deprehenditur *ſpuma* vel cuticula aut quicquam aliud in ſuperficie puteorum atque ſcaturiginum totidem circumnatare vel colligi; Sed eſt alveus modo dives aquæ calidæ, limpidæ, tam naribus *inodoræ*, quam ori *inſipidæ*, niſi quod quaſi *unctuoſi* aut *pingue* quidpiam videatur offerre bonis aquarum dijudicatoribus aquæ hujus noſtræ mollities. Scaturiunt ita Thermæ noſtræ in amœna valle, quam perfluit amnis, *die Enz* dictus, Nicro noſtro & cum hoc Rheno aquas invehens ſuas, ceterum bene vivas & laudabiles, quippe truttis

divites

divites. Et ſuppetunt per oppidum paſſim fontes aquæ, utut non medicatæ, potui tamen atque uſibus culinariis perquam aptæ, nec de calore thermarum participantes quidquam. Ubi quidem hac occaſione nec hoc prætermittendum eſſe arbitror: Cellas ſubterraneas vinarias in diverſoriis (quorum hic multa ſunt & ampla, atque recipiendis advenis prorſus accommoda) æque ac ædibus per civitatem reliquis eſſe bene frigidas & ſiccas, adeoque vino ibi ad & conſervando quam maxime idoneas, neque tam propinquum calidæ ſcaturientis alveum arguentes. Ad utrumque vero latus montes ſunt excelſi, denſa arborum coniferarum fronde eminus adeo nigricantes, ut *Sylvæ nigræ* nomen dederint, plantarum ſalubrium æque ac ferarum & volucrium feraciſſimi.

§. IX.

ZELLENSES vero Thermarum quidem nomen ſenſu adeo rigoroſo non tuentur, cum in labro balneantes ſoleant ſedere, & calefieri prius aqua debeat. Nihilominus aqua utriusque putei non eſt plane frigida, ſed *tepida*, & fide Thermometri Florentini parvi decem gradibus calorem aeris externi ſuperat, quin imo ſub repurgatione puteorum ſubtus in fundo deprehenditur plene *calida*, ut balneo absque ulteriori calefactione ſufficeret, prouti jam olim hoc notavit quoque *Rulandus*. Huic igitur a vicino oppido *Zell* nomen, ſitus autem eſt ad fluvium *Nagold*, in latiore, proin tanto etiam amœniore valle, nec dum tamen extra fines Sylvæ prius dictæ nigræ. Sunt autem *duo* inprimis *putei*, aliquot centenis paſſibus ab invicem diſtantes, quibus totidem ædificia, ad recipiendos advenas idonea ac bene ſpatioſa, ſunt ſuperſtructa;

In his aqua non cum ſtridore vel ſtrepitu, ſed placide prorſus ſcaturit, continuo aliquas aeris eructans bullas, tota *limpida*, *inodora*, ut prior, & *inſipida*, replendis tamen labris quamplurimis abunde ſufficiens, cæterum, ut de Ferinis ſupra diximus, ſua etiam *conſtantia* & *antiquitate* ſe commendans. Et cum omni tempore fuerint, qui in liberiori ſpatio balneare volentes labris iſtiusmodi noluerunt includi, adeoque hoc ipſum jugiter in Zellenſibus deſiderarunt, ſuperiori demum anno, munificentia *SERENISSIMI PRINCIPIS NOSTRI, Excellentiſſimus Præſes meus*, *Illuſtr. Dn. D. Zellerus* duo conclavia adaptari curavit, canalibus atque epiſtomiis ita inſtruxit, ut nunc in area quadrata ſabuloſa ſedentes liberius balneare, & modo calidam modo frigidam, reſerato ſaltim apertoque uno vel altero epiſtomio, pro indigentia admittere valeant. Cæterum utut neque hic *nihil* ullibi ſponte ſua *concreſcat* quidquam, vel ad fundum ſubſideat, aut *ochra* quæpiam compareat; in *ahenis* tamen, queis tota die fervere aqua fere per æſtatem integram aſſolet, *cruſta* utique colligitur, & quotannis etiam decutitur, *tartareo*, ſi quidem ita loqui licet, *calcaria* vel tophacea. Etenim aqua, ignis vi fervere incipiens, *lacteſcit* quaſi, & albicantis pulveris non parum dimittit, qui poſtea tractu temporis cruſtam illam ſubminiſtrat, ſuo loco ſpecialius declarandam & examinandam.

§. X.

De *Origine Fontium* hic non agam ex profeſſo; Sufficiat adduxiſſe verba *P. Lanæ* Mag. Nat. & Art. T. II. p. 185. *Fontium non eandem omnium eſſe originem, ſed aliquos*

quos esse a pluviis, alios a liquatis nivibus, nonnullos ab aere, frigore densato & in aquam converso, plures etiam ab aqua, in vapores sublimata mediantibus ignibus subterraneis, originem suam ducere. Quod ipsum totidem verbis asserit, atque speciosis omnino exemplis confirmat, Exc. Dn. D. *Verdries* in Phys. P. II. Cap. IV. §. VIII. p. m. 389. seqq. Nec de *Thermarum origine* magna me sollicitudo tenet amplius, postquam & modo laud. Dn. D. *Verdries* & *Listerus*, *Bergerus* aliique cum ipso plures, dudum rejectis veterum de igne subterraneo flammante, de calce viva subterranea, de solis per globi corticem penetrantis efficacia, & similibus figmentis, incalescentiæ causam quæsiverunt in conditione terrarum, quas alluunt aquæ & perfluunt; prorsus conformiter illis, quæ in *Histor.* suæ *Natural.* L. XXXI. cap. IV. scripsit quondam *Plinius*: *Tales sunt aquæ, qualis terra, per quam fluunt.*

§. XI.

Scilicet *Pyritas germinantes* eorumque mineras thermarum inprimis parentes & quasi confectores esse, unanimi fere omnium consensu Recentiorum plerique omnes contendunt Quemadmodum enim ex *cursu Chymico Dni. Nicolai Lemery* notum est *experimentum sulphuris, cum Limatura ferri* commixti, & humectati, brevi admodum adeo *incalescentis*, ut & vasa disrumpat, & in flammam tandem erumpat ipsam; Sic Pyritarum venæ subterraneæ, (sed ferro inprimis atque sulphure pyritas constare, notum est vel ex vitriolo martiali, quod pararunt olim vicini Reutlingenses, testimonio disputationis d. Acidulis Engstingensibus; nec non ex sulphure, quod adhucdum ex eisdem paratur non procul a Mona-

ſterio Laureacenſi) in noſtro Ducatu inprimis cumulatæ, & admodum copioſæ, delato in ipſorum poros humore aqueo, quo nexus & compages ſulphuris & ferri ſolvitur, ut illud in hoc agere poſſit efficacius, æſtuare incipiunt, mutuoque partium conflictu attrituque exardeſcunt, proin aquam transfluentem, vel transcolandam modo, vel calefaciunt ſaltim, vel etiam virtutibus imbuunt, in aqua nimirum liqueſcentes, & in ochram halitusque ſulphureos diffluentes.

§. XII.

Aperiretur nobis hic exſpatiandi campus certe patentiſſimus, & ſubminiſtraret materiam ſcribendi ampliſſimam ferax inprimis noſtra Wurtembergia; ſed non fert inſtituti ratio, prolixius hæc excutere, temporis etiam anguſtia aurem nobis vellicat, & de aliis cogitare jubet. Hoc unicum tamen, quod paradoxum utique videri poſſet, prætermittere nefas foret: Et jam olim *Bauhini*, cum foderetur fons admirabilis *Bollenſis*, & hisce noſtris adhuc temporibus, tam ad modo dictum, quam ad & circa vicinum nobis fontem *Reutlingenſem*, ingens eſt pyritarum copia, dum non modo globuli iſti, figuris ſuis ex cubo & octaëdro inſignes, & *Eph. Nat. Cur. Cent. III. & IV. Obſ. 9.* p. 15. notati, paſſim ad agrorum margines atque rivulorum ripas occurrunt, ſed & lamina tali ſplendida marcaſitacea obducuntur, quæ magno numero ibi occurrunt, ammonis cornua, aſteriæ, entrochi, lyncis lapides, conchitæ, cochlitæ & ſimil. Neque tamen aqua utrobique eſt vel ſapida acidula, vel calida thermalis. Quemadmodum ergo ſingularis utique eſt reſolutio ſulphuris, quæ nec acidum ſpirat, nec ab

acido

acido præcipitatur, crucem forte figens Chymicis; Ita Physicis relinqui & commendari posset illa altera quæstio: Cur sulphurearum illarum aquarum nulla calida? An huc quadret, quod laud. *Dn. D. Verdries* l. c. dicit, & explicatæ Acidularum genesi immediate subjungit, applicandum suo modo hic magis ad sulphur integrum, problema esto conflictui reservandum.

§. XIII.

Scopo igitur propius accedens meo, atque medicarum magis rerum satagens, ad examen utriusque propero, perscrutaturus earundem contenta, atque deducturus inde virtutes ipsarum Medicas, plenam licet suscipiens magni laboris nec minoris difficultatis aleam, scil. ob multiplicem Auctorum dissensum. Etenim *Leonhardus Fuchsius* Lib. II. *Institutionum* suarum dignas omnino nostras censuit, quas in Sect. V. Cap. XXVIII. inter balnea naturalia potiora recenseret. De Ferinis autem scribit: *Harum mistura ex copioso Sulphure, & exiguo Alumine constare fertur. Sunt tamen, qui Æris, Salis & Nitri misturam accedere priori censent, atque hi recte judicant.* Et de Zellensibus: *Earum mistura*, inquit, *ex Alumine, Ære & exiguo Sulphure, vel, ut quidam censent, ex Alumine & Ære tantum, constat.* Videtur quoad ferinas quidem thermas sua hæc fecisse, & in vernaculam saltim transtulisse, *Deucerus* supra allegatus. Nec multum abludit inde *Kufferus*, qui in suo de Marchiobadensibus tractatu hisce ferinis nostris *Sulphur*, *Sal*, cum *Alumine* & *Vitriolo modico* tribuit; atque *Widmannus*: nisi quod hic prædominium *Sulphuri* tribuat, *Sal Nitrum* & *Alumen* subjungens, nec alia mineralia ab aliis inesse credita volens exclu-

excludere. Cujus tamen phœnomenum docimasticum geminum, sc. *lintea in Ferinis lota sulphur redolere*, *& aqua per destillationem abstracta sulphur remanere*, necdum nobis se probavit, infra suo loco ulterius forsan illustrandum.

§. XIV.

De Zellensibus simile plerorumque fuit judicium. Sic in *MScrto* antiquo de Zellensibus, æque ac citato supra *Rulandi* de iisdem tractatu, repetuntur modo verba *L. Fuchsii*, quibuscum conveniunt, quæ deprehenduntur in *J. G. Agricola*, saltim quod hic aluminis multum, æris vero atque sulphuris parum inesse statuat. Dum contra *Baccius* in suo d. thermis tractatu, singulorum horum ingredientium parum utique inesse prætendat. *Æneæ quoque*, inquiens, *misturæ (quanquam valde temperatæ) nec non Alumine cum modico Sulphure participantes, habent Helvetici aquas sub oppido Zell, prope Galbam.* Primæ huic & antiquissimæ omnium sententiæ succedat altera illorum, qui æri s. cupro ab antiquitate toties aquis modo dictis inesse credito, substituerunt *Martem.* Sic non modo Mscrtum illud antiquum, quod de Zellensi balneo in multorum manibus versatur passim, *Mæglingio*, Pforzheimensium quondam Medico, tribui solitum (quod tamen parentis fœtum esse, toties negavit filius, Archiater Wurtembergicus non ita pridem pie defunctus) præter Nitrum, Alumen, Calcem vivam atque Sulphur etiam *Martem* ipsi assignat; Verum etiam de Ferinis recentior quispiam solide doctus, atque rerum medico chymicarum peritus, per instituta examina edoctus, pronunciare non dubitavit, *subtilem Martem* atque *Terram*

Calca-

Calcariam esse, quibus laudandæ infra qualitates debeantur. Neque tamen defuit Alius non minus celebris, qui in Ferinis quidem *metallici prorsus nihil*, *alcali* autem *volatile* in maxima copia, *Sulphur subtile* & *Nitrum* in minori, *Acidum* denique in minima copia deprehendi prætendit.

§. XV.

Quam bene igitur in hoc sententiarum divortio succurrit, & exoptatas mihi fert suppetias examen cum ipsis hisce aquis per Reagentia, institutum quondam sub directione Exc. Archiatri *B. Dn. D. Gerlachii*, (cujus Gener, Prænobilis. *Dn. D. Weissmannus*, Nurtingensium nunc Physicus Meritissimus, alia insuper, ex B. Soceri Schedis excerpta, prorsus egregia, benevole mihi communicavit, eoque ipso publice etiam hic abs me laudari meruit) atque ita comparatum, ut conformiter desiderio Illustr. *Frid. Hoffmanni Observ. Physic. Medic. part. III. cap. 10. & seq.* omnium optime contenta aquarum detegere queat, adeoque huc transcribi mereatur integrum.

§. XVI.

Scilicet primo loco destillationi subjicere aquas sibi proposuerat, atque adeo ab unciis cxx. & alibi LXXX. aquarum tam Ferinarum quam Zellensium uncias xx. xxvj. xxxiij. prodeuntes obtinuerat, examinaturus postea tam aquam simplicem sibi relictam, quam destillatione ex alembico prodeuntem, ac tandem quoque illam in vesica superstitem. Qua occasione ante omnia notandum hoc erit phœnomenon: Non contigit hic in nostrarum destillatione aquarum, quod observatum fuit in

Acidulis Deinacenſibus. Dederant hæ in illo poſt deſtillationem reſiduo ſedimentum inſipidum, plus minus albicans, terreum, quod exſiccatum ex unciis cxx. pondere gran. xvj. ex unciis LXXX. vero granorum XII. deprehendebatur. *Nihil* ergo quidquam *ſedimenti* colligere ab utroque hoc balneo potuit, aquam modo in veſica ſuperſtitem leviter *albeſcere* obſervavit *Noſter*, atque exiguam pauciſſimæ terræ calcariæ præſentiam inde concluſit.

§. XVII.

Neque porro mutationem ullam vel reactionem obſervavit in aqua per deſtillationem obtenta, cum omnibus illis ſigillatim mox recenſendis reagentibus commixta, & ſollicite examinata; Quippe hæc tam Ferinarum quam Zellenſium nec turbationem, neque effervescentiam, neque ſedimentum, nec quidquam aliud exhibuit, ſed vel *prorſus immutata* manſit, vel colorem admixti aut inſtillati liquoris ſaltim induit.

§. XVIII.

Neque tandem tertio ulla notatu digna obſervari potuit *differentia*, ſicuti in Ferinis inter balneum *Principibus*, & illud alterum *Nobilioribus* reliquis perſonis deſtinatum, ita etiam in Zellenſibus inter balneum quod dicitur *ſuperius*, atque illud alterum *inferius* vocari ſolitum. Sumebantur autem, quod in tranſitu notandum, ampullæ vitreæ cryſtallinæ, quæ continebant aquæ drachmas tres, illisque inſtillabantur liquorum circiter guttæ ſex.

§. XIX.

FERINARUM igitur aqua ſibi relicta ab inſtillata *ſolutione aluminis* dilute opaleſcentem exhibuit colorem.

A de-

A deſtillatione reſiduum diu manſit immutatum, tandem leviter turbari & albeſcere cœpit.

A Solutione Lunæ cupellatæ ſtatim inſigniter opaluit, cum tendentia ad colorem ex bruno luteum, & lacteſcentia fortiori ac de Saccharo Saturni dicetur ſtatim, atque præcipitatione tandem quaſi grumorum lactis. Mora temporis paſſim ad nigredinem inclinare videbatur. Reſiduum quoque eodem prorſus modo ſeſe habuit.

Solutio Sacchari Saturni opaleſcere fecit aquam illico, ut tamen deſuper usque magis inclareſcens iterum luteoli quidpiam exhiberet, ad fundum vero albi pulveris copiam dimitteret. Quod idem in deſtillationis reſiduo factum.

Solutio Vitrioli Martis in aqua balnei ſibi relicta tardius, in altera vero poſt deſtillationem ſuperſtite citius, non tam turbari, quam potius floccos modo dare cœpit pallide luteolos. Quod ipſum etiam contigiſſe deprehendo ab inſtillata *ſolutione Martis.*

Solutio Vitrioli Veneris, atque *Veneris* ipſius, cœruleſcere atque parum turbari fecit utramque aquam, tam naturalem ſibi relictam, quam a deſtillatione ſuperſtitem.

Solutioni Sulphuris cum calce viva factæ, aqua prius concolor, dein turbidula, tandem fere graveolens fieri; a deſtillatione reſiduum mora temporis demum turbari parum cœpit.

Solutio Reſinæ turbari & albeſcere fecit utramque, magis quam cum Aqua fontana id fieri quidem aſſolet.

Syrupus Violarum naturalem ſuum in aqua balnei ſervavit colorem. Superſtes autem illa altera ignem experta aqua virorem ipſi contraxit in momento.

Solutio Lacmi nihil quidpiam rubedinis exhibuit, ſed colorem modo conſervavit ſuum, quin exaltavit eundem aqua poſt deſtillationem reſidua.

Gallarum fruſta, etiam per noctem in aqua detenta, ne rubedinis quidem, multo minus nigredinis quidquam exhibuerunt, colorem modo infuſi earundem ordinarium contraxerunt.

§. XX.

ZELLENSIUM aqua ab *Aluminis ſolutione* prorſus uti prior ſeſe habuit.

A *ſolutione* autem *Lunæ cupellatæ* opaleſcere modo, nec alius coloris quidpiam exhibere viſa fuit.

Saccharum Saturni citam dedit lacteſcentiam, cum præcipitatione pulveris albicantis ad fundum.

Vitriolum Martis & *Mars* ipſe in ſuis ſolutionibus nihil exhibuerunt, quod a phœnomenis in præcedente aqua dictis recederet.

Idem quoque dici debet de *Vitriolo Veneris* atque *Venere* ſolutis.

Solutio Scoriarum Reguli antimonii luteum aquæ conciliavit colorem, absque tamen fœtore; a deſtillatione reſiduum plane non mutavit eam.

Sulphur cum calce viva ſolutum levem turbationem, lacteſcentiam atque fœtoris veſtigia produxit. Reſidua tamen poſt deſtillationem aqua ſaltim turbata, olere quidquam deprehendi non potuit.

Syrupus Violarum prorſus ut in præcedente colorem ſuum ab aqua ſibi relicta conſervavit, virorem vero egregium bene cito ab altera deſtillationem experta & in veſica ſuperſtite reportavit.

Galla

Gallæ etiam hic mutationem nullam, ſed ordinarium ſaltim infuſi colorem produxerunt.

§. XXI.

Quemadmodum igitur Phœnomena huc usque propoſita ſatis ſuperque declarant, aquam noſtram utriusque balnei, *neque martialem* aut ochream terram in mixtionem ſuam recepiſſe, prouti *Freyenwaldenſes*; nec præter martiales particulas *Sal* aliquod *vitriolicum* habere, aut ab injectis gallis tingi, ut *Lauchſtadienſes*; neque *ſpirituoſum* illud expanſivæ admodum virtutis *elementum* vel ſolum, ut Acidulæ noſtræ *Deinacenſes*, vel cum *Salinis alcalicis* particulis conjunctum, ut *Egranæ*, *Selteranæ* vel *Emſenſes* aquæ; Nec tandem ad inſtar *Carolinarum* præter ſpirituoſum Clementum, & ſal alcalinum atque nitroſum, tanta *calcariæ* & tophescentis *terræ copia* abundare; Sed ad *Tæplicenſes* Bohemiæ, *Hirſchbergenſes* Sileſiæ, *Piperanos ſ. Fabarienſes* Rhætiæ, atque nobis propiores *Schlangenbadenſes* Haſſiæ fontes potius accedere, adeoque *ſubtilitate* & *puritate ſua* ſeſe commendare: Ita facilis nunc parata nobis via eſt eruendi ex his ipſis qualitates & virtutes medicas, quibus pro fundamento ſemel poſitis, determinatu poſtea non erit difficile, quinam ægrotorum ad unum vel alterum balneum cum fructu poſſint ablegari, quid in utriusque uſu prudenter inſtituendo debeat moneri.

§. XXII.

Perparum enim profecto eſt, quod terreæ calcariæ ſubſtantiæ in ſinu ſuo continent, per experimenta prius adducta, e. g. Syrupi Violarum vireſcentiam, aliarum ſolutionum ſalino terrearum opaleſcentiam, declaratum;

Cui præter exiguum alicujus Sulphuris indicium, in Ferinis a nigrescentia solutionis Lunæ petendum, accessit ultra mineralium ferè nihil, adeoque sistit aquam, qualem fere *Hoffmannus* declarat, vere dulcem, quæ omni sapore & odore caret, & incocta nihil sapidi relinquit, valde levis & ad naturam aquæ pluvialis vel destillatæ accedens, præter alia etiam àbstergendis & lavandis linteis præ quibuscunque aliis conveniens.

§. XXIII.

Jam vero aquæ istiusmodi subtiles, non solum promte & intime etiam minima vasa atque poros subeunt, sed & facile per omnia emunctoria transeunt, neque minus ad dissolvendas partes mucidas crassiores, atque detergendas & è corpore evehendas partes impuras salinas, admodum idoneæ sunt. Præterea usu externo, duras & constrictas partes emolliunt ac relaxant, poros aperiunt, & liberiorem sanguinis humorumque omnium adfluxum ad partes invitant, eoque ipso magna utique in medendo præstare possunt. Patebit hoc ex consideratione effectuum, quos insessus talis atque balneum calidum in corpus humanum exserit.

§. XXIV.

Primum enim calor iste modicus *expandit* sanguinem atque omnis generis fluida, vasorumque efficit dilatationem. Ab hac dilatatione sanguinis crescit pulsus, adeoque fortior & intensior fit circuitus, ut rubore tingantur partes superiores, & sudore tandem perfundi incipiant. Accedit insuper alia corpori mutatio, ab àmbientis *fluidi gravitate*; aquam enim aeris gravitatem 800. vicibus superare notissimum est. Jam vero corpus nostrum,

noſtrum, ex aere in aquam translatum atque hac undique circumfuſum, magnam certe compreſſionis vim inde ſuſtinet, qua præcipue ſanguis a peripheria verſus centrum, proin a cute ad Viſcera & internas partes, magna vi urgetur. Concurrente ſic ab extra quidem vaſorum compreſſione, ab intra vero, propter ſanguinem calore ad externas invitatum, majore eorundem dilatatione, velocior evadit partium ſanguinem conſtituentium motus inteſtinus; quo mediante poſtmodum & humorum viſcidorum diſſolutio perficitur, & obſtructiones reſerantur, aptique redduntur humores, ut per ſecretoria & excretoria corporis organa melius trajiciantur. Ulterius balneum etiam conſiderandum eſt ut *humidum*, utut enim, quamdiu homo ita ſedet in calida, ſuperficies corporis ab aquarum pondere comprimatur, tamen ab earundem humiditate & calore ingens fibrarum ipſiusque cutis fit emollitio, ut balneo poſtea relicto habitus corporis admodum turgeſcat, relaxetur, vaſisque dilatatis atque poris apertis uberior ſanguinis ad ſuperficiem corporis affluxus conciterur, unde in lecto decumbentibus ſudor modicus fluere ſolet, effectus a balneo deſideratisſimus, magnæque ad ſanandum efficaciæ.

§. XXV.

Ab hac emollitione ac relaxatione fibrarum nimis criſpatarum tenſarumque dependet ille balneorum noſtrorum in partium externarum *Contracturis*, *Ariduris*, *Tabe*, & *Spasmodica* quarumcunque *conſtrictione*, uſus præſtantiſſimus. Huic eidem debetur etiam *promotio*, & facilis atque frequens *excluſio*, tam *lapillorum* quam *ſabuli nephritici*, atque etiam copioſi *muci*, non ſaltim in illis,

illis, qui nephritico-calculosis molestiis diu graviter vexati, verum etiam in aliis, qui de talibus ne cogitarunt quidquam, quippe nihil unquam passi, proin se quidquam sabulosi vel calculosi in corpore suo alere quovis pignore cum quocunque certaturi. Inde etiam derivari debet, quicquid in *Mensium* atque *Hæmorrhoidum* fluxus anomaliis corrigendis, suppressione vel imminutione restituenda, nimia profusione compescenda, dolorosis ac spasmodicis nixibus moderandis, atque tandem *Hysterico* vel *Hypochondriaco affectu* inde prognato mitigando valent.

§. XXVI.

Non enim reputandum est, externis modo partibus, earumque læsionibus, relinquenda esse balnea, ad affectus partium internarum, atque inprimis etiam superiorum, minime proficua. Incomparabilem profecto balneorum nostrorum utilitatem nostri deprehenderunt in iis morbis, ubi a vehementiori spasmo partium membranosarum congestiones sanguinis ad partes quascunque alias fiunt, testimonio Cephalææ, Clavi Hysterici, & Hemicraniæ, toties ab hisce nostris feliciter, si non penitus curatæ sublatæque, tamen ad longum tempus quasi repressæ atque proscriptæ, vel tamen notabiliter mitigatæ. Relaxato quippe per balneum externo corporis habitu, & meatibus tenuioribus iterum apertis, non modo libertati suæ restituitur, & ad ambitum corporis evocatur sanguinis circulus, sed & perspiratione restituta ingens *impurarum sordium* per cutis cribrum fit *eductio*, adeoque materiæ acri, membranas nerveas tantopere vellicanti, atque atroces istos dolores aut spasmos excitanti,

tanti, conciliatur exitus. Dici vix poteſt quanta humorum ſaburra & colluvies mediante balneo per cutis emunctorium in aquas ſæpe tranſeat. Fidem aſſerto faciet hiſtoria in *Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. VI. Obſ.* 259. a *Volckamero* recenſita, qua conſtat, *fœminæ lumborum dolore* crebro *infeſtatæ*, non profuiſſe ullum, quod ſtrenuam æque tuliſſet opem, quam aquæ dulcis balneum; ſed *craſſamentum pingue, copioſum, aquæ innatans*, quotidie in labro fuiſſe deprehenſum, facile cochlearis beneficio inde colligendum. Huic *Idem* in *Scholio* ſubjungit hiſtoriam *viri hypochondriaci*, etiam balneantis, cujus aqua tantum *fœtorem* contraxerit, innatante ei *ſaburra nigricante craſſa*, cum *acredine* ſemper increſcente, ut quotidie novas ſubminiſtrare herbas neceſſe fuerit, propter inſignem *aquæ putredinem, gravemque odorem*, imo tantam *acerbitatem*, ut miniſtrantis atque aſſiſtentis manus vellicaret; Atque *Fœminæ*, quæ quotidie *fœtentem* talem *colluviem*, *tres manuum volas æquantem*, ex corpore in balnei aquam emiſit.

§. XXVII.

Qua occaſione non poſſum non ea, quæ inter generalia vel tribus ſupra tetigi, paulo ſpecialius hic deducere, & in enarranda excellenti balneorum *efficacia* in *Affectione Hypochondriaca & Hyſterica* aliquando liberalius calamo indulgere. Nullus fere ægrotorum eſt, qui plus auxilii & levaminis a noſtrorum balneorum uſu percipiat, quam viri *hypochondriacis*, & fœminæ *hyſtericis pathematibus* obnoxiæ, quod morbi genus & graviſſimum & noſtra ætate familiariſſimum eſt, variis & atrocibus ſæpe ſymptomatibus longo tempore, interdum absque

intervallo fere, non ægrotos exercens modo, ſed & medicos mirum in modum fatigans.

§. XXVIII.

Quemadmodum vero e. g. mali hypochondriaci nondum adeo radicati & inveterati ſedes primaria in ventriculo atque inteſtinis maxime hæret, quorum motus ſic dictus periſtalticus, qui ſecundum naturam in reciproca conſtrictione & dilatatione conſiſtit, plane turbatus, imo nonnunquam inverſus eſt, idque maxime per ſpaſticas ſtricturas & crispaturas convulſivas, quibus ſi exercentur inferiores inteſtinorum, præſertim pleniorum, partes, non modo alvina excrementa detinentur, ſed & flatulentiæ, exitu præcluſo, verſus ſuperiora tendunt, inteſtina tenuia & ventriculum vehementer diſtendunt, partes vicinas, e. g. Lienem in ſiniſtro hypochondrio, comprimunt, adeoque circulum ſanguinis turbant, reliquas vero membranoſo nervoſas partes, imo quandoque totum fere ſyſtema nervoſum, in conſenſum trahunt, ex quo tanta ſymptomatum calamitas, omnes fere corporis partes excrucians, oritur.

§. XXIX.

Ita paſſim quidem, ſed ſimul & experientiæ multiplici conformiter, obſervavit *Illuſtr. Frid. Hoffmannus*, quod ad hunc morbum ſublevandum, vel, ſi adhuc principium ejus fuerit, penitus eradicandum, non inveniatur præſentius remedium, quam in *recto thermarum & acidularum uſu*; Prudenter tamen illud expreſſis verbis monens, quod talia modo *balnea* debeant ſeligi, quorum materia eſt *aqua pura*, *levis & ſubtilior*, adeo ut minerales aquas, quæ de graviori terreo ſalino, vel etiam adſtrin-

ſtringente martiali elemento multum participant, huc non æque ſpectare, neque tantam iſtis utilitatem afferre, fateatur. Confirmaturus hanece theſin ſuam, provocat ad multiplicem in *Thermis Carolinis*, uti ab Ipſo non ſemel factam, ſic ab Aliis non minus repetendam experientiam, qua conſtet, ſcaturiginem ordinariam, alias pro principali habitam, externe minus feliciter hypochondriacis ſuaderi, quia graviores & magis conſtringentes aquas habeat; Dum contra loco ejus feliciori cum ſucceſſu ſuis ſuaſerit balneum ex aqua altera ſubtiliori, quæ vocatur *das Mühlen-Waſſer*. Licebit tamen in tranſitu *Cautelam*, *a B. Volckamero* loc. cit. ad omnia omnino balnea præſcriptam, etiam hypochondriacis obſervandam commendare. Illa autem paucis hæc eſt: *In omnibus balneis in fronte ſudor terminus eſto, quem ſi tranſiveris, periculis vacuus non eris.*

§. XXX.

Meum quidem non eſt, neque vel temporis vel inſtituti mei ratio permittit, præconem agere utriusque noſtri balnei, & prolixius recenſere morbos omnes atque ſingulos, quibus thermas noſtras, utpote admodum proficuas, nec ſine fructu unquam uſurpandas, commendare liceret. Sed nec opus eſt vino jam dum bene vendibili ſuſpenſa tali hedera. Ego paraturus diſputationi materiam, unum ſaltim atque alterum morbum paulo ſpecialius conſiderabo, & de proficuo thermarum in illis uſu pauca ſubjungam. Singulari autem quaſi jure quodam ſuo primum inter iſtos locum utique ſibi vendicat *Pareſis*, relicta *a Colica*, de qua paucis notare liceat ſeqq: Qui ſub finem IV. vel principium V. a Salvatore ſeculi inter

Medicos Græcos claruit, *Paul. Ægineta*, in Tr. suo de Re Medica miratus est, dari speciem *Colicæ* tum adhuc novam, *Epilepsia* & *Paralysi* subsequentibus gravem, nec modo ordinario per calida, sed per frigida curandam, adeoque prorsus singularem. Hæc resolutio artuum post colicam posteris vocata fuit Paresis, & venisse observata toties, quoties vel a vino per colicam non abstinuisse, vel purgantibus curare se voluisse convinci poterat ægrotus; Sicuti etiam colica ipsa in se, quoad causam suam, tandem Avorum nostrorum tempore detecta fuit inprimis *Saturnina*, *Plumbea*. Præter tamen allegatam modo causam geminam, insuper hoc notatu dignum non semel observatum fuit phænomenon: Sc. Colicos in media dolorum atrocia, balneo aquæ dulcis immersos, a doloribus colicis quidem ita fuisse liberatos, sed artubus suis resolutos, adeoque factos inde Pareticos.

§. XXXI.

Neque vero una eademque semper fuit omnium Pareticorum conditio. Quibusdam dolores colici manserunt diu superstites, apud alios cito penitus evanescentes; Pareticorum quorundam artus erant vere resoluti, flaccidi, aliorum obrigescentes & magis contracti; Ipsa hæc obrigescentia non erat omnibus promiscue indolens, sed quibusdam simul admodum dolorosa, modo quasi arthritico fixo; Quemadmodum ipsi hi dolores de sensibilitate partis superstite satis utique testabantur in articulorum rigiditate: Sic eadem sensus ακριβεια fuit etiam in illis quasi paralyticis vere talibus, adeo ut vel singulas pulicum puncturas accurate senserint. Aliqui Pareticorum cœperunt intumescere, adeoque in cachexiam tran-

transire, alii vero & longe quidem plures notati fuerunt tabescere, consumi, plerisque omnibus quasi ictericiam in facie flavedinem simul exhibentibus, & prurientem frequenter cutem fricare solitis.

§. XXXII.

De hisce tantum non omnibus & singulis in genere, multiplici nixus experientia, pronunciare non vereor: *Paresis curatur balneo in thermis ferinis.* Utut forte non semper statim in ipso, certe tamen post usum ejus, & per ipsum. Non vacat hic prolixam dare pareseos ætiologiam, etiamsi inquisitionem mereretur & discussionem hæc inprimis quæstio: *Qua ratione cum colica permutetur Paresis?* An ad *consensum* modo *nervorum*, anne vero ad *metastasin causæ* ex intestinis & mesenterio *ad artus*, referri debeat? Sufficiat ex Disputat. d. Spasm. Intest. Inaugurali quondam Exc. Dn. Præsidis mei, *Illustr. Dn. D. Zelleri Promotoris æternum venerandi* paucis huc transcribere sequentia: *Non quidem eam quæ in intestinis hæret, sed eam quæ in itinere ad intestina est, ad artus effundi eleganter ac sufficienter probat D. D. Mezgerus Disp. de circulo sanguinis III.* Cui subjungi possent & conferri utique merentur, quæ prostant in *B. Dn. D. Rud. Jac. Camerarii Diss. de Colica Paretico Epileptica.* §. XII. Neque alteram non minus curiosam quæstionem therapeuticam hic tractabo: Cum effectus balnei ad sedandos colicæ dolores sit æque certus, ac ille alter thermarum ferinarum ad restituendam pareticorum artubus libertatem, *annon*, ut cito curemus & jucunde, sepositis modo dictis omnibus, *præstet balneo colicum immittere, atque adeo abbreviare ipsi torturam, in quintum, sextum vel septimum diem alias protrahen-*

hendam. Certe adeo lætari *Erastus* notavit ægros, cum se ab immanibus cruciatibus liberatos sentiunt, ut resolutionem artuum ducant pro nihilo; quanto magis, si hanc adeo facile ferinis abigendam nostri resciverint. *Carolus Piso* tamen balneis hunc effectum inducendi *paresin* denegat, omne illud, quicquid est vel paralyseos vel contracturæ, *non ab usu balnei, sed a vi morbi derivans.*

§. XXXIII.

Hanc vero quæstionem me vix declinare posse sentio: *Num thermis ferinis sit hæc prærogativa solis?* Quid promitti possit ægris de *Zellensibus*, etiam nostræ nunc considerationis? Imo quid de balneo in *Acidulis Deinacensibus*, quas pro potu ipsis adhuc colicis alias concedere solent nostri Medici? Aut quid valiturum, in casu e. g. necessitatis vel indigentiæ, balneum vicinum *Blasianum*, vel *aliud quodcunque?* De Ferinis quidem thermis res est in vulgus nota, & multiplici ut dictum experientia confirmata, earundemque facultates & qualitates etiam ita comparatæ, ut in eminenti utique gradu hoc mereantur prædicatum. Non ausim tamen privative hoc accipere, & ferinis solis vendicare. Quod enim *Zellenses* quidem concernit, constat ex superioribus, & dicemus adhuc in sequentibus, quam in multis illæ conveniant cum ferinis, uti ratione constitutionis naturalis, sic etiam in ordine ad virtutes medicas, præcipue ad articulorum affectus. Et habemus utique historias etiam Pareticorum, ad has felici cum successu ablegatorum. Pro balneo ex *Acidulis Deinacensibus* parando militat inprimis, quod in *Hydrophylacio* suo urget *Vicarius*, balnea vitriolacea ex

acidulis

acidulis parata esse ad curandam paresin aptiora. Transeat hic τὸ Vitriolaceum stricte sumtum, quippe quod in acidulis non deprehendi, gratis huc usque in illis quæsitum vel prætensum fuisse, præter alios multos, dudum docuit inprimis Illustr. Hoffmannus. Balneorum tamen usus in ipsis nostris Deinacensibus quotannis fere fit frequentior, & extenditur ad affectus etiam alios, Ferinis vel Zellensibus quondam unice reservatos. Denique ex Disp. laud. d. *Balneo Blasiano* novimus, & in hoc ipso pareticam graviter talem, feliciter tamen fuisse restitutam, ut digitos modo rigidos, & distortos aliquandiu servaverit: (At vero hoc etiam in ferinis observatur, & extremi digitorum articuli ultimo demum loco mobilitatem recuperant pristinam.) Et paretico pauperculo egregie profuisse *balneum aquæ simplicis*, cum incocto cortice Betulæ paratum, liberatum enim hunc fuisse provocata cito gravi scabie.

§. XXXIV.

Tales autem Pareticos cum *Paralyticis* non esse confundendos, & exempla illorum per thermas curatorum non esse alleganda & divulganda pro his vere paralyticorum, quemadmodum prudenter monuit *Lamzwerde* in *d. Therm. Abusu*; Sic ab ipso hoc inæquali successu, tanquam argumento a posteriori, constat, gravius omnino laborare hos quam illos. Occasione Disputationis alicujus nuperæ in *Histor. Morb. Vratislaviensium* aliquid evolvens, opportune etiam incidi in ea, quæ de thermis erudite disserunt ibi Collectores, & legi, quam feliciter in *Landecanis aquis* restitutus fuerit *ab hemiplexia paralyticus* plethoricus; ut subjungant etiam, se nescire, quo jure

jure concludere potuerit *Lamzwerde*, quod thermarum balnea non ſint conveniens paralyticorum medicina. Novi etiam, apud *Lanciſium d. Mort. Subitan.* in curatione paralyſeos occurrere balneum; Et *Helvetio* magnopere laudari duo Galliæ balnea, ad curandas & abigendas apoplexiæ reliquias paralyticas.

§. XXXV.

Quid quod præcipuum eſt, atque omnes rationes & analogismos medicos ſuperat, mihi quoque ſuppetunt *exempla* talium, *ab apoplexia paralyticorum*, *ad ferinas* noſtras *felici cum ſucceſſu* profectorum. Habe Chirurgum Argentoratenſem, *hemiplecticum*, & *graviter balbutientem*, atque inſuper *pedibus* jam *tumeſcentem*, cum *dyſpnœa* & *tuſſi*: Et mirare, huic, provide inſtituta cura, non modo *evanuiſſe tumorem* pedum, & *ceſſaſſe tuſſim*, promota expectoratione facili; verum etiam *loquelam rediiſſe atque motum*, ut ſatis commode iterum potuerit *ambulare* & *loqui*, proin felix patriam repetere. Junge huic Cauponem *Sexagenarium*, qui *paralyſin* ſuam *hemiplecticam* ſimiliter *profligavit* feliciter, & in tertium jam luſtrum quotannis rediit, languorem annuum ibidem curaturus. Poterat autem hic ipſe *ſeptimo* jam *die* ſuis iterum ſeſe veſtibus induere, *decimo tertio die* domum *eques* petere, ſiniſtro latere, cum thermas accederet, plenarie reſolutus, atque rheda ob id advectus. Adde, ſi placet, tertiam, *juvenculam*, adeo reſolutam, ut *fere penitus obmutuerit*. Certe etiam hæc & *ambulandi* & *loquendi potentiam* feliciter in thermis ferinis recuperavit.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Verum enim vero, ſi quod res eſt loqui & ingenue fateri licet, pauci quippe boni ſunt, & digitis adhuc forſan numerari poſſunt, quibus contigit eſſe adeo felicibus & curari in balneis a vera paralyſi apoplectica. Nec deſunt exempla in contrarium aliorum, qui *nihil prorſus adjuti iterum diſceſſerunt*, oleum atque operam perdentes omnem, a quorum recenſione brevitatis ſtudio abſtinemus. Etenim duo inprimis ſunt, quæ dubium ſemper tenent animum: Primum eſt, quod paralyſis illa veniat culpa non membri, vel articuli, quoad fibras ſuas motrices muſculares, imo nec nervi ipſius in illo ſuo progreſſu, vel termino; unde etiam inunctiones omnes atque illinitiones externarum iſtarum partium maximam partem ſunt fruſtraneæ; Sed culpa hæret in meditullio cerebri, circa medullam oblongatam, adeoque nervorum originem, non terminum; quorſum proin non æque penetrat vis balnei, niſi forſan commovendo ſanguinem, & excitando motum ejus, tam inteſtinum quam progreſſivum. At vero hoc ipſum illud alterum eſt, a quo ſibi metuunt tantopere; Scil. ne afflicto nuper, & infirmo huc usque, capiti forte concitetur recidiva, & invitetur inſultus novus, forſan priore fortior, quia jam dum natura ſolet priſtinas affectare vias, & partes ſequi, uti fere Logicorum concluſiones ſolent, debiliores, utut vel maxime hoc foret aliquid, quo quilibet egregie vellet, ſi modo poſſet, carere.

§. XXXVII.

Supereſt tamen alia adhuc artuum infirmitas, & plenaria quandoque movendi impotentia, cui ſalutariter & cum fructu opponuntur balnea noſtra, tam Ferinarum

quam Zellensium. *Arthriticos* intelligo, illisque jungo omnes illos, qui ab *Ischiade*, *Podagra*, *Rhevmatismo* & similibus morbis, vel infirmi saltim & plus minus debilitati, vel etiam in graviori casu obrigescentibus articulis, vel quasi paralytice resolutis, *movendi potentia prorsus destituti* sunt; quibus ad latus pono, brevitatis studio, earundem partium *dolores*, atque tandem *tumores* ab istis remanentes. Omnium atque singulorum horum specimina possemus producere quam plurima, cum fere maxima balneantium pars ad hanc morborum classem, instituto advenarum examine, deprehendatur referenda, ut ad *Grallas* etiam, tanquam devicti morbi trophæa, provocare cum *Willisio* liceret.

§. XXXVIII.

Occasione autem hujus ipsius articuli unum atque alterum specialius notari meretur. Primo de *Podagra* fateor ingenue, me non in ea opinione esse, ac si vel Ferinæ vel Zellenses aquæ podagram curarent, ita, ut de non amplius redeundo spondere quidquam, vel cavere quisquam possit. Amat ista periodos, & redibit certo certius, citius sive tardius, si quem semel civitate donavit vel ordini adscripsit suo, nisi quidem medicatione incongrua male tractata graviorem mittat hostem, vel decumbat in partes interiores, adeoque tanto nobiliores, quippe principes. Nec diffiteor, esse etiam ex podagricis, qui ne ad *demulcendas* quidem Podagræ *molestias tuto* mittuntur in balnea, quibus caput debile, vertiginosum, tremulum graviora minatur, proin apoplexiæ metus non vanus est. Adeoque de uno saltim paroxysmo ejusque molestiis, imo reliquiis, intelligendum est, quod in laudem balneorum hoc respectu passim scribitur.

§.XXXIX.

§. XXXIX.

Interim tamen mirabundus certe animadverto insignem hic recessum Medicinæ recentioris, ab antiqua praxi & traditione populari, qua prætenditur, *erysipelas* atque similes ejusmodi *tumores*, vulgo *calidos* dictos, proprie & medice inflammatorios, *non esse humectandos*, ad minimum non aqueis, sed spirituosis modo tractandos. Cum tamen in nostris utrinque thermis suppetant exempla non pauca eorum, qui non modo *erysipelate*, & olim sæpius & *jamdum* graviter, *affecti balneare* tamen pergunt audacter, atque inflammationem omnem abigunt hac ratione feliciter; verum etiam in *medio podagræ paroxysmo balneo se committere* eamque hoc modo curare præsumunt. Quemadmodum id, quod patitur articulus in paroxysmo vel podagrico, vel arthritico, aut ischiadico, quantumvis cæteroquin vel maxime dolorifico, inflammatio utique est, naturæ erysipelaceæ, adeo, ut *Mortonus* etiam e. g. Arthritidem vocaverit febrem inflammatoriam universalem rhevmaticam, cum inflammatione versatili, variolis atque morbillis eam subjungens; Sic ulteriori etiam aliorum inquisitione digna utique sunt exempla talia paradoxa illorum, qui in ipso medio vel arthritidis vel podagræ paroxysmo, tamen balneo se committere ausi, eoque non minus felici cum successu usi, quippe ab omni isto paroxysmo, ejusque molestiis cito æque atque tuto, proin etiam jucunde, liberati sunt.

§. XL.

Dignum hoc jam suo quondam tempore judicavit *B. D. E. R. Camerarius*, quod notaret in *disput.* sua *d. Acidulis III.* sc. earundem *usu externo*; In hujus enim §. V. non modo Erysipelas balneo aquarum *Deinacensium* feliciter curatum

&

& præſervatum ex *Gabelchoveri Obſ. Cent. III. cur. 12.* allegatur, atque ex ejusdem annot. ad cur. 74. Cent. II. ſubjunguntur verba ſeqq. *Vidi quendam a collo usque ad umbilicum maximo & ferventiſſimo eryſipelate correptum in acidulas Deinacenſes ſe immerſiſſe, in iisque non ſolum ardoris contemperationem, verum etiam integram ſanitatem conſecutum fuiſſe, multis Idiotarum ſummopere mirantibus, qui madorem quemcunque cane pejus & angue oderunt.*„ Verum etiam de *Arthritide, Podagra* & *Iſchiade* eadem prorſus recenſentur, autoritatibus *Greiſelii, Horſtii* aliorumque probantur, atque tandem propria *Præſidis* quoad poſtremum quidem experientia confirmantur.

§. XLI.

Quanquam ergo hac ratione podagricis non expectandum foret amplius ad quadrageſimam illam medicam, ab *Hippocrate* in *Sect. VI. aph. 49.* aſſignatam, atque balneis cito admodum expediri præſumant tales, unicum tamen Coronidis loco ſubjungere mihi liceat. Quam ex una parte affectibus modo dictis juncta *febris intenſior* thermarum uſum nihilominus reddit *ſuſpectum*, ſcil. durante adhuc paroxysmo ſuſcipiendum, non reliquiis & infirmitati membrorum deſtinatum; Tam ex altera parte Medicum juvenem reddunt dubium adeo diverſa, uni tamen eidemque morbo deſtinata ac tantopere commendata, diverſorum Medicorum remedia, Scil. obverſantur animo non ſaltim *Hippocr. Aph. 23. atque 25. Sect. V.* verum etiam laud. prius *Gabelchoveri H. U. v. W. Kunſt wider das Podagra*; atque integer tractatus *Floyeri de balneo aquæ frigidæ*; ut non immerito quandoque inſtituenda & prudentiæ medicæ commendanda videatur etiam hæc deliberatio practica: *Quandonam conſultius ſit balneo uti vel calido vel frigido?*

Sed nunc vela tandem ſcriptionis contraho, devotiſſimas Deo T. O. M. agens gratias, quod ſua Gratia huc usque mihi voluerit adeſſe, atque ſtudia mea Academica dirigere ad exoptatum huncce

FINEM.